

cum præter alias causas, de quibus diximus,
etiam sint trium aut duorum generum, atq;
hac de hac quæstione.

De quæstione decima septima.

An Semitonium minus rectè dividatur
in naturale & fictum.

Explicatâ doctrinâ Semitoniorum, in
quæstione hac nulla est difficultas. Sen-
sus est, an Semitonium Diatonicum, quod
falsò pro minore proclamat, duplex sit;
naturale & fictum, & naturale sit, quod in
quavis specie Diapason bis habetur, fictum
verò quod in omnibus clavibus per signa in-
terna provocatur. Si fictio latiore significa-
tione usurpatur, facile hoc concedi potest. Si
verò intelligatur de re, quæ non extet, & vi-
deatur tantum sic esse, tum falsa est distin-
ctio. Reverà enim hæc semitonia in flexione
Harmonia extra ordinem adhibentur, ut
ad omnis generis affectus descendere possi-
mus. Divisionis membra fortassis aliter con-
cipi possent, ut aliud Semitonium diceretur
ordinarium in vocibus Musicalibus mi, fa,
aliud